

tur: *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: An es me? citra dubium, præter alia, Jesus hac trina repetitione significare voluit, tum pascendi necessitatem, tum ejus utilitatem, tum ejus perpetuitatem, quæ multis explicari possent: memor igitur Petrus horum præceptorum Christi cunctos alios Presbyteros, & Doctores, ad pascendi munus invitare voluit, ex his, jam allegatis verbis itidem ostendere (α) pascendi necessitatem, quam per verbum imperativi notat, simulque Pastores universos, & singulos, ad pascendi munus hoc vinculo necessitatis obligat. (β) pascendi perpetuitatem, dum in presenti loquitur, & pascendi munus, ut semper præsens, vereque perpetuum requirere videtur, dum pastor à pascendo suum, & nomen, & omen habet. Et notum est, quod boni pastores eo non sint contenti, si greges suos tempore diurno constanter ad pascua bona ducant; sed insuper etiam nocturno tempore gregis causa vigilalant, pro gregibus contra lupos, & alias feras excubant, & nocturna pabula quoque gregibus monstrant, sicut de Pastoribus Bethlehemiticis refertur Luc. II. 8. (γ) pascendi utilitatem, quia pascendi munus refertur, ad Christi Gregem, qui pabulis utilissimis opus habet. Tales etiam debent esse Spirituales animarum pastores, exemplo Pauli, dicentis Pastoribus Ephesinis Act. XX. 31. *Vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium NOCTE, & DIE, non cessavi cum lacrymis monere unumquemque vestrum: sicut propterea v. 28. præced. reliquis Collegis præcipit: Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, PASCE-RE Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine suo. Hæc pastoralis cura dicitur optimus ad gloria coronam apparatus.**

12. [4] In apparatu Ministerialis Episcopatus, inspicientes, secundum Osiandrum, Ecclesia statum, ne quid detrimenti capiat, non coacte, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: Non enim requirit tantummodo Petrus, ut Ecclesie ministri sint Pastores, sed etiam ut sint Episcopi, vel Ephori, Superintendentes, vel Inspectores, perpetuas vigilias, continuas excubias, assiduas custodias agentes, velut in specula stantes, & vigilanter totum gregem ab intra considerantes, & ab extra lupos, ursos, & leones, incurstantes diligenter observantes;